

*Begleitschreiben von Kardinal Friedrich Gustav Piffl, Erzbischof von Wien, zur Übergabe des
Quinquennialberichtes über die Jahre 1916 bis 1920. Wien, 20. Mai 1922*

Nr. 50 / Pr¹.

Viennae, die 20. Maii 1922.

Beatissime Pater,

Pastoralis officii mei memor ad Thronum SANCTITATIS VESTRAE relationem de statu archidioecesis Viennensis hisce adnexam humillime substernere audeo. Insimul SANCTITATEM VESTRAM devotissime rogo, ne aegre ferat huius relationis moram causatam ex continua ac summa rerum animarumque in Austria perturbatione, quae perspicuam et accuratam informationem de archidioecesis conditione reddidit valde difficilem, nos autem tenuit occupatissimos in diversis populi nostri tormentis mitigandis.

Dignetur ergo SANCTITAS VESTRA clementissimo favore excipere hanc relationem una cum homagio atque obsequio cleri et gregis mihi commissi, simulque nobis omnibus Apostolicam Benedictionem benignissime impertire.

SANCTITATIS VESTRAE

Humillimus, devotissimus, obligatissimus servus

Fr. G. Card. Piffl
Archiepiscopus Viennen.

¹ Pr. = Präsidialakten.

Relatio
super statu Archidioecesis Viennensis in Austria. (1916-1920)²

Caput I.

Generalia de statu materiali personarum et locorum.

1. Indicet Ordinarius nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum, et institutum religiosum, hoc est religionem, si ad aliquam pertineat; quando fuerit consecratus, vel, si Abbas sit, benedictus; quando dioecesis regimen susceperit. Si Episcopum Auxiliarem habeat, an datus sit personae vel dioecesi.

Fridericus Gustavus Tituli ad S. Marcum Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Piffl, natus 15. X. 1864 in Landskron; Professus Canoniae regularis Claustro-neoburgensis, ordinatus 8. I. 1888, Archiepiscopus Viennensis praeconisatus 2. V. 1913, consecratus 1. VI. 1913, Cardinalis presbyter creatus 1. VI. 1914.

Auxiliaris dioeceseos Dr. Joseph Pfluger, Episcopus Arpasensis, natus 1857, consecratus 1911.

2. Breviter exponat quaenam sit origo dioecesis, quinam eius titulus seu gradus hierarchicus, quae privilegia potiora; si metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta Codicem, can. 1594 § 2, teneat; si vero suffraganea sit, quem Metropolitam habeat; et num apud illum, vel apud alium Antistitem pro conferentiis episcopalibus conveniat; si denique nulli Metropolitae suffragetur, quem Metropolitam pro Concilio provinciali, pro conferentiis et pro iudicio appellationis teneat iuxta cann. 285, 292 et 1594 § 3.

Dioecesis Viennensis anno 1469 erecta per bullam Innocentiae³ Papae XIII. datam die 1. VI. 1722 in archidioecesim et Metropolim est promotam, habet S. Hippolyti et Linciensem sedes episcopales suffraganeas.

Ad Metropolitam Ordinarium Salisburgensem appellandum est.

3. Dicat praeterea:

a) quinam locus residentiae Ordinarii, cum indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis;

b) quaenam amplitudo dioecesis, ditio civilis, caeli temperies, lingua;

c) quaenam summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis, et si acatholici inveniantur, quot sint, et in quales sectas dividantur;

d) qui numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum seminarii;

e) utrum adsit Capitulum cathedrale, an potius coetus consultorum dioecesanorum; an adsint alia Capitula, vel sacerdotum coetus instar Capitulorum, seu Communiae, et quot;

f) in quot vicariatus foraneos, decanatus, archipresbyteratus aliasve circumscriptiones dioecesis divisa sit; quot sint paroeciae, cum numero fidelium earum quae maximae vel minimae sunt; an adsint paroeciae per linguas seu nationes distinctae, et an per familias et non territorio divisae, et quo iure; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis, cann. 216, 217;

g) utrum et quaenam religiones virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sacerdotum;

h) utrum et quaenam religiones mulierum, cum numero domorum et religiosarum.

² 1916-1920 handschriftlich hinzugefügt.

³ Fälschlich statt *Innocentii*.

- a) Vindobonae, in Austria, I., Rotenturmstraße 2.
- b) Archidioecesis Viennensis habet territorium, cui adjacent Dioeceses Brunensis (Moraviae), Seccoviensis, S. Hippolyti, Strigoniensis, Jaurinensis, et Sabariensis et continet 166.22 mil.²⁴; lingua est germanica.
- c) catholici 2,596.212, graeci-catholici 25.000, armeni-catholici 121; circiter 96 % omnium incolarum sunt catholici, 4 % acatholici, praesertim Hebraei.
- d) Episcopus Eucarpensis Dr. Ernestus Seydl et 978 sacerdotes, 104 clerici, 240 alumni seminarii minoris.
- e) Capitulum Metropolitanum; alia capitula necnon Communiae desunt.
- f) Archidioecesis divisa est in 41 decanatus., Viennae 5, extra Viennam citra Danubium flumen 16 sub uno archidiacono, trans Danubium flumen 20 sub uno archidiacono. Parochiae existunt Viennae 78, extra Viennam 456, summatim 534, quarum numero fidelium maxima 76.129 animarum (Wien XVII⁵), minima vero 261 animarum (Stopfenreuth); per linguam distincta est parochia Unterthemenau et vicus filialis parochiae Feldsberg nomine Bischofswarth, qui nunc sub ditone reipublicae bohemicae sunt.
- Per familias divisa est tantummodo ecclesia parochialis ordinis Equitum teutonici ex anno 1729 (Vienna, I) pro membris et officialibus eiusdem Ordinis habitantibus Singerstraße 7, incorporata⁶ eidem⁷ Ordini.
- Milites subsunt iurisdictioni praepositi militaris Dr. Pawlikowski.
- g) Viennae praeter ecclesias parochiales sunt ecclesiae vel Oratoria publica 69, extra Viennam 268; celebriores loci sacri extra urbem sunt pro peregrinantibus Maria Lanzendorf et Maria-Enzersdorf.
- g) In Archidioecesi sunt 28 ordines regularium et congregationes virorum in 70 domibus degentes et quidem:
1. Praepositura Canonorum regularium S. Augustini
 2. Abbatia Cisterciensium
 3. Abbatia Benedictinorum
 4. Abbatia generalis Mechitaristarum Armenorum
 6. Conventus Dominicanorum (2 domus)
 6. Conventus Minoritarum (3 domus)
 7. Conventus Reformatorum Franciscanorum (3 domus)
 8. Conventus Cappuccinorum (2 domus)
 9. Conventus Carmelitarum calceatorum (1 domus)
 10. Conventus Carmelitarum discalceatorum (1 domus)
 11. Conventus Servorum B. M. V. (2 domus)
 12. Conventus Fratrum Misericordiae (4 domus cum nosocomiis)
 13. Conventus Trinitariorum (2 domus)
 14. Clerici regulares S. Pauli, Barnabitaе (4 domus).
 15. Societas Jesu (4 domus)
 16. Ordo s. Camilli (1 domus)
 17. Scholarum piarum clerici regulares (3 domus)
 18. Congregatio S. Vincentii de Paulo (3 domus)
 19. Congregatio S. Redemptoris (3 domus)

⁴ 166,62 Quadratmeilen ~Quadratkilometer.

⁵ Pfarre Hernals im 17. Bezirk in Wien.

⁶ Im Original fälschlich *incorporato*.

⁷ Im Original fälschlich *eodem*.

20. Congregatio Presbyterorum a S. Resurrectione (1 domus)
21. Congregatio Salesianorum a Don Bosco (4 domus)
22. Congregatio Fratrum B.M.V. (2 domus)
23. Congregatio Oblatorum S. Francisci Salesii (2 domus)
24. Societas SS. Salvatoris (2 domus)
25. Societas Verbi Divini (2 domus)
26. Fratres scholarum christianarum (9 domus)
27. Congregatio operariorum piorum secundum regulam S. Josephi Calasantii (Calasantini, iuris dioeceseani, 4 domus).
28. Congregatio Consolatorum de Gethsemani (iuris dioeceseani) (1 domus)

Summatim ergo 28 ordines et congregationes, cum 70 domibus, 702 Presbyteris regularibus, 473 clericis, 206 Novitiis, 3 Candidatis, i.e. 1562 regularibus.

g) In Archidioecesi Viennensi existunt diversae familiae religiosae, ex quibus 7 Instituta monialium cum clausura sensu strictissimo, quae in 10 monasteriis 419 adscriptos excipiunt, et 30 congregationes seu sodalitates, quae 249 domus et 5375 membra habent. Eiusmodi moniales sunt:

1. S. Ursulae (2 domus)
2. Elisabethinarum (1 domus)
3. Francisci Salesii (1 domus)
4. SS. Redemptoris (1 domus)
5. Boni Pastoris (2 domus)
6. Carmelitarum discalceatarum (2 domus)
7. Franciscanarum perpetuae adorationis (1 domus)

Congregationes sunt:

1. Sororum S. Vincentii de Paula (25 domus)
2. Sororum scholasticarum tertii Ordinis S. Francisci Seraphici (21 domus) (iuris dioeceseani)
3. Filiarum infantiae Jesu et Mariae sub patrocinio S. Christinae (3 domus)
4. Sororum tertii Ordinis S. Francisci Seraphici (17 domus)
5. Filiarum divini Salvatoris (36 domus, iuris dioeceseani)
6. Sororum de paupere Infante Jesu (5 domus)
7. Sororum scholasticarum pauperum de Notre Dame (8 domus)
8. Sororum misericordiae de S. Cruce (34 domus)
9. Filiarum caritatis christianae a S. Vincentio de Paula (21 domus)
10. Religiosarum SS. Cordis (2 domus)
11. Sororum tertii Ordinis S. Dominici (1 domus)
12. Servarum SS. Cordis Jesu (21 domus)
13. Sororum misericordiae de S. Carolo Borr. (3 domus)
14. Filiarum divini amoris (18 domus)
15. Religiosarum Notre Dame de Sion (1)
16. Sororum „Dolorosae Matris” (3 domus)
17. Sororum tertii Ordinis S. Francisci (3 domus)
18. Sororum auxiliatricium animarum in purgatorio (1 domus)
19. Sororum pauperum scholasticarum 3. Ordinis S. Francisci Seraphici (3 domus)
20. Pauperum Franciscanarum (1 domus)
21. Franciscanarum Missionariarum Mariae (2 domus)
22. Oblatarum S. Francisci Salesii (1 domus)

23. Sororum perpetuae adorationis (2 domus)
24. Salvatorianarum (3 domus)
25. Sororum pauperum scholasticarum de Notre Dame (1 domus)
26. Carmelitarum de Ss. Corde Jesu (3 domus)
27. Servarum S. Spiritus (5 domus)
28. Sororum S. Joseph (2 domus)
29. Sororum tertii Ordinis S. Francisci (1 domus)
30. Sororum Ordinis teutonici (1 domus).

CAPUT II.

De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archivis

4. An et quomodo iuxta civiles loci leges, facultas possidendi, acquirendi et administrandi, quae ecclesiae propria est, sarta tectaue sit; an potius coarctata; et si ita sit, quaenam sit conditio cleri et ecclesiarum.

Bonorum ecclesiasticorum temporalium administratio subest vigilantiae auctoritatis civilis iuxta leges de dato 7. V. 1874 praesertim quoad alienationem ac onerationem, ita ut alienationes, onerationes et maioris momenti elocationes sine licentia gubernii fieri non possint civilisque auctoritas iure patronatus gaudeat plurium beneficiorum ecclesiasticorum ipsique quotannis reddi debeat administrationis gestae ratio. E contra gubernium tutelam bonis ecclesiasticis praestat et ad ecclesiarum expensas necnon ad clerum saecularem ac egentem regularem sustentandum portionem congruam addit.

Non obstante magno hocce succursu ex parte gubernii clerus hisce diebus, quibus annonae caritas premit, valde indiget subsidio ex parte fidelium et externorum. Nam portio congrua gubernii non est sufficiens plerumque dependet a voto factionum politicarum in senatu reipublicae.

5. An institutum sit penes Curiam Consilium administrationis et quibusnam constet; et num Episcopus in administrativis actibus maioris momenti illud audierit iuxta praescripta can. 1520.

Consilium administrationis iuxta can. 1620 praescriptum sensu stricto penes curiam nostram non existit. Sed Ordinarius quoad casus maioris momenti utitur consilio membrorum consistorii iuratorum et cancellaria „rationum” penes Curiam ex sacerdotibus et laicis peritis instituta accurate annuas rationes parochorum examinat; praeterea quivis decanus (vicarius forensis) ad hoc duobus laicis in suo districtu peritis ac aestimatis uti debet, quos Curia in triennium nominat; denique pro unaquaque ecclesia duo vitrici (viri pietate et integritate conspicui) ad procuranda bona ecclesiastica nominati sunt.

6. An administratores particulares, sive ecclesiastici sive saeculares, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, aut loci pii canonice erecti, aut confraternitatum, reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis. Can. 1525.

Accuratissima⁸ annua⁹ ratio¹⁰ ab ecclesiarum rectoribus Curia postulat necnon a confraternitatibus.

7. An servata sint praescripta can. 1523 circa modum administrationis, et confectionem librorum accepti et expensi; can. 1526 de non inchoandis litibus sine Ordinarii scripta licentia; can. 1527

⁸ Statt *Accuratissimam*.

⁹ Statt *annuam*.

¹⁰ Statt *rationem*.

de abstinendo ab actibus Ordinariam administrationem excedentibus; et can. 1544 seqq. circa congruam dotem, tabulas piarum foundationum, aliaque.

8. *An qui bona fiduciaria ad pias causas acceperint, servent quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Ordinario reddendam.*

9. *In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum servataene sint fideliter ab omnibus normae cann. 1530-1533, 1538-1542; et si non, quae remedia adhibita.*

Praecipua quae acta sunt his de rebus negotia referantur.

Praescripta hic notata in dioecesi observantur. Decanis et sacerdotibus a Curia nostra instructio typis impressa de his praeceptis data est et quovis anno decani de eorundem observatione Ordinario referre debent. Ad parochum vel administratorem his praeceptis non correspondentem ac praemonitum officialis quidam Curiae mittitur, ut cum administratore rationem faciat; expensas parochus solvere debet. Etiam auctoritas civilis talia praecepta sicuti C.J.C. dedit administratori.

10. *Circa decimarum et primitiarum solutionem serventurne laudabiles consuetudines, praecavendo tamen a dura exactione. Can. 1502.*

Tributa fructuum in paucis tantum parochiis existunt; ruricolis haud raro agitant, ut auferantur.

11. *Circa oblationes in commodum paroeciae et missionis serventurne praescripta can. 1182 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et collectores abstineantne a vexatoria et odiosa requisitione.*

De fidelium oblationibus in commodum parochiae, quae vero raro fiunt, parochus Curiae ac auctoritati civili rationem reddere debet.

12. *Circa missarum stipem quomodo serventur quae can. 831 praescribit de taxa synodali; quae can. 835 de non colligendis a sacerdotibus missis, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant; quae can. 841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium; quae cann. 843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis.*

C. J. C. de stipendiis missarum praecepta fere ubique in Archidioecesi servantur. Decanis demandatum est, in visitatione canonica libros, in quibus intentiones Missarum consignantur, tum parochiales (pro Missis fundatis et manualibus) tum privatos singulorum sacerdotum accurate inspicere. Ultimis annis propter constantem pecuniae valoris diminutionem taxa saepius aucta est et a S. Sede facultas reductionis expetita est; tamen omnes infra annum persolvere erat impossibile.

Taxa dioecesana est ex 1.3.1922:

	pro Celebrante	pro ecclesia celebrationis
<i>Missa manualis</i>	400 Coronae	200 Coronae
<i>Missa legata (in testamento iussa)</i>	600	300
<i>Missa fundata lecta.</i>	ad minimum 20.000 Coronae	

13. *An inventaria immobilium, mobilium et sacrae suppellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capitulorum, confraternitatum aliorumque piorum locorum, quae canonice erecta sint, confecta in duplici exemplari, alio pro pio opere, alio pro Curia episcopali, habeantur iuxta cann. 1296, 1522. Cautumne sit, et quomodo, ne morte rectoris ecclesiae, aut superioris pii operis, mobilia et suppellectilia disperdantur aut subtrahantur. Cann. 1296, 1300-1302.*

Inventaria praescripta existunt et post decem annos sunt renovanda. In casu mortis vel decessus rectoris decanus iuxta praescripta dioecesana claves archivii, protocolla, pecuniam etc. excipere et administratori provisorio tradere debet, de quo facto protocollum conficiendum est.

14. An Episcopus archivum habeat ad tramitem cann. 375-378 erectum et custoditum et cum documentis et libris de quibus in cann. 470 § 3, 1010, 1047, 1107; a quo tempore documenta incipiant, et an pergamenae et incunabula habeantur; catalogine confecti sint; an aliud quoque secretum archivum, vel saltem armarium obseratum, in qua scripturae secretae custodiantur, servatis regulis cann. 379-380.

Archivum dioecesanum penes Curiam adest optime dispositum librisque ac catalogis necessariis instructum. Documenta archivii antiquioris incipiunt a saeculo 16. Pergamena et catalogi adsunt cum catalogis. Totum archivum antiquius subest directioni R. D. Dr. Ernesti Tomek, Professoris Historiae ecclesiasticae in Universitate Viennensi. Archivum secretum penes me et Vicarium generalem bene clausum asservatur. Claves in casu obitus Ordinarii accipiet Secretarius Curiae. Archiva in ecclesiis adsunt.

15. An ecclesia cathedralis, collegiatae, paroeciales, confraternitates et pia loca canonice erecta sua quoque archiva detineant, cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium et cum catalogo omnium documentorum; et exemplar eiusdem catalogi exhibitumne fuit Curiae episcopali, et in archivo Curiae repositum iuxta can. 383.

Decani statum archivi quotannis inspicere et Curiae referre debent. Catalogi persaepe desunt, praesertim in archivis ruralibus; usque nunc catalogi documentorum archivalium exemplar a Curia non expostulatum est (praeter inventariorum iam memoratorum exemplar). Quod libros attinet, notandum, statum animarum (c. 470) adhuc rarissime inveniri, quamvis a Curia praescriptum.

CAPUT III.

De fide et cultu divino.

16. Utrum graves errores contra fidem serpent inter dioecesis fideles; vel aliqua praxis superstitiosa aut ab institutis catholicis aliena in dioecesi vigeat; an modernismi, theosophismi, spiritismi lues dioecesim infestet, et an aliqui e clero eisdem erroribus infecti sint. Quanam huius mali fuerit, vel adhuc sit causa.

Adsitne consilium a vigilantia, quot personis constet, et quo fructu munera sua expleat.

An professio fidei cum iuramento antimodernistico exigatur, et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestetur iuxta can. 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918.

Bello diuturno eiusque infelici exitu conditio religiosa et moralis multorum gravissimo damno et in urbibus et ruri affecta est; multi revolutione perterriti et libellis ac ephemeridibus allecti socialistis adhaerent, qui infensissime vilipensionem religionis ac institutorum ecclesiasticorum, immo apostasiam propagant. Liceat mihi hic varias confessiones breviter referre:

Israelitae in urbe Viennensi 59, extra urbem 9 domus orationis possident. Orthodoxi tres ecclesias Viennae. Lutherani et Calvinistae Viennae 7 parochias, extra urbem 10, necnon 8 stationes praedicatorum, 25 varias societates, summatim circiter 80.000 asseclas numerant. Eorum societas centralis pro missione interna Viennae assidue adnititur, ut piis operibus parvulos eorumque parentes alliciat. Porro existunt praesertim in urbe Viennensi diversae societates nuncupatorum „Freidenker“ (Kulturbund Lovoro, cum folio periodico „Es werde Licht“, ac 7 sectionibus Viennensibus); vetero-catholici cum 4 ecclesiis Viennensibus, quorum numerum praxis

Communitatis civilis Viennensis – dispensandi nempe ab impedimento ligaminis coniuges alterum matrimonium attentantes – valde augebat. Socialistae autumant, ultimis annis in Austria 26.000 talia matrimonia contraxisse.

Adventistae, Methodistae, Baptistae, Heilsarmee, Quaeker, Christocrati, Mormones, Communitas Apostolica, Theosophi, Anthroposophi, Spiritisti, varii Occultisti praesertim Viennae plures circulos habent; persaepe magna pecunia externa praediti beneficia fidelibus eorumque parvulis praebent.

Numerum acatholicorum adnotare est difficile, cum populi recensensus anni 1921 confessionem non enumeraverit.

Maxime dolendum est, quod plures sacerdotes (15) in archidioecesi degentes partim statum clericalem reliquerunt, partim etiam matrimonium coram ministro acatholico inierunt.

Unus (Lamm) capellanus vetero-catholicorum factus est.

Consilium Vigilantiae adest consistens ex 10 sacerdotibus dignioribus.

Operam damus praedictis erroribus oppugnandis praedicationibus, concionibus, scriptis (libellis, foliis periodicis Wiener Kirchenblatt, Bonifatiusblatt) societatibus catholicis, praesertim ex parte societatis Hilfsverein für christliche Ehen, cuius cooperatores Apostatas visitant ipsisque epistolam a me scriptam tradunt; sed persaepe frustra, praesertim si apostasia facta est ob matrimonium alterum contrahendum.

Professio fidei cum iuramento antemodernistico semper exigitur et praestatur iuxta Sanctae Romane Ecclesiae praescripta.

17. Utrum divinus cultus libere exerceatur; sin minus, unde obstacula proveniant: a civilibusne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel ab alia causa; quaenam ratio suppetat ad ea amovenda et num adhibeatur.

Divinus cultus libere exercere usque nunc potuit.

18. An ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaue sint et canonicae de his leges servari possint et servantur. Cann. 1205 seqq.

Ecclesiae iura quoad coemeteria quidem agnoscuntur, sed nunc nova coemeteria iuxta leges civiles plerumque a Communitatibus civilibus eriguntur interconfessionalia.

19. Utrum in cultu divino, in sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione necnon in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad linguam et cantum, leges canonicae ac liturgicae servantur. An in his, et quaenam, irrepserint singulares consuetudines; sitne cura ut prudenter submoveantur, an potius tolerantur, et quanam de causa. Can. 731 seqq.; can. 1255 seqq. Adsintne in ecclesiis picturae, statuae aliaque a sanctitate loci aliena, vel minus consona liturgicis legibus; et quid fiat ut amoveantur.

Arceanturne semper a domo Dei profani conventus et nundinae etiam ad pias causas. Can. 1178.

In cultu divino leges canonicae et liturgicae observantur iuxta libros liturgicos et collectionem Rituum pro Archidioecesi Viennensi ex anno 1889 a Sancta Romana Curia approbatam.

Instructio practica pro assistentia in usum clericorum et sacerdotum nunc quidem praeparatur.

Picturae, statuae, aliaque a sanctitate loci aliena in nostris ecclesiis desunt. Decanis praescriptum est, ut de dignitate, pulchritudine artificiosa ecclesiarum et sacrae suppellectilis invigilent. Profani conventus vel nundinae in ecclesiis non fiunt. Penuria vero ultimis annis ecclesias coegit ad sic dictos concertus ecclesiasticos, ad quos auditores pretium solvere debent pro sustentatione musicae sacrae. Quae symphoniae peractae sunt in ecclesiis remoto Sanctissimo Sacramento sine offendiculo; tamen eas temporibus penuriosis elapsis omnino interdicere intendo. Nuperrime

etiam conventus catholicorum aptis locis deficientibus in variis ecclesiis Viennensibus fiebant, Sanctissimo Sacramento remoto.

20. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis vel paroeciis fidelium necessitati sufficiat. Numerus ecclesiarum Viennae nequaquam fidelium necessitati sufficit. Jam antecessores mei omni studio adlaboraverant, ut novae ecclesiae erigerentur. Quod studium summo prosequor cooperantibus sacerdotibus et fidelibus in unione pro construendis ecclesiis.

21. An generatim ecclesiae mundae sint, decenter ornatae et suppellectili sufficienti instructae. Adsintne egentes, squalidae, fatiscentes, et an et quid agatur ut reficiantur.

Recenseantur ecclesiae, si adsint, structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes: et dicatur num congrua de his omnibus cura adhibeatur.

Generatim ecclesiae mundae sunt, decenter ornatae et suppellectili sufficienti instructae. Campanae tempore belli ab auctoritate civili remotae nunc mira fidelium beneficentia iterum comparantur. Renovatio et conservatio ecclesiarum ob ultimorum annorum inopiam impedita in posterum a patronis et auctoritate civili persaepe erit postulanda.

Permultae ecclesiae structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes essent enumerandae. Ut de omnibus cura necessaria habeatur, consilium dioecesanum penes curiam institutum est consistens ex peritis sacerdotibus et laicis praesidente Vicario Generali. Omnino ecclesiarum rectoribus interdictum est, quidquam vendere vel mutare sine licentia Ordinarii.

22. An ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, sit, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus. Can. 1181.

Ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, semper est gratuitus.

23. An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant, et eae in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus pateant iuxta can. 1266. Quomodo observentur: cann. 1267 et 1268 circa custodiam SSmi Sacramenti in uno tantum loco et altari; et circa decorem et ornamentum praecellentissimum altaris eiusdem; can. 1269 circa tabernaculi statum; can. 1271 circa lumen coram SSmo.

Ecclesiae rite custodiuntur et rectoribus demandatum est, in locis furtis obnoxiiis calices et ostensoria e tabernaculo amovere. Multae ecclesiae Viennenses et Viennae viciniores ob furti periculum paucas horas fidelibus patent.

Sanctissimum Sacramentum in ecclesia Cathrali et in paucis ecclesiis regularium in duobus altaribus asservatur ob communionis frequentiam et Benedictionem cum Sanctissimo Sacramento quotidie fere horis pomeridianis fidelibus dandam.

Tabernaculum in plurimis ecclesiis in altari maiore est et quidem cum fixo baldachino, ob causam modo allatam. Lumen coram Sanctissimo Sacramento in multis ecclesiis ex privilegio tempore belli concessio adhuc est electricum.

CAPUT IV.

De iis, quae ad Ordinarium pertinent.

24. Indicet Ordinarius quibus redditibus ipse qua talis fruatur, sive sint ex bonis immobilibus, ex publico foenore vel aerario, ex incertis Curiae, ex dioecesis contributione, sive ex aliis causis: et an sibi sufficientes sint; qualem domum episcopalem inhabitet, et cum quibusnam convivat: an et quale cathedraicum exigit iuxta can. 1504; an et quales alias exactiones forte imposuerit iuxta

cann. 1505, 1506; utrum aliquo aere alieno sive qua Ordinarius, sive qua persona privata gravetur; et qua ratione eius extinctioni consulat.

Redditus Ordinarii proveniunt ex bonis immobilibus, nempe agris, silvis, domibus, et ex capitalibus (syngraphis). Qui redditus vix sufficiunt Ordinario, qui tamquam patronus pro 24 ecclesiarum et domorum parochialium conservatione et renovatione curare debet.

Ordinarius domum episcopalem propriam Viennae inhabitat et cum duobus capellanis sacerdotibus convivit. Cathedriticum vel aliae¹¹ exactiones non existunt.

Mensa episcopalis tantum aere alieno hypothecario gravatur, quod infra 40 annos exstinguendum est.

25. An episcopales aedes et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, curaverit iuxta praescripta cann. 1483, 1299 § 3 et 1301.

Inventarium bonorum mensae iuxta canones adest.

26. An in ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuerit pro mensae bonis et res bene gestae fuerint iuxta cann. 432, 433.

In ultima sedis vacatione res bene iuxta can. 432 et 433 gesta sunt.

27. Quomodo residentiae legi satisfaciat; qua frequentia pontificalia peragat, conciones habeat et pastoralibus litteris clerum et populum instruat; quomodo caveat ut ecclesiasticae leges notae fiant, et ut ab omnibus fideliter servantur. Can. 336.

Archiepiscopus residentiae praescriptum semper vivit; tantummodo a 16. Augusti usque ad finem Septembris in mensae episcopalis castello Kranichberg intra archidioecesim vivit, quo tempore silvas mensae episcopalis dissitas necnon earundem administrationem inspicit.

Pontificalia iuxta Caeremoniale Episcoporum peragat tum in cathedrali¹² tum in aliis

Archidioecesis ecclesiis occasione a sollemnitatibus parochiae vel associationum catholicarum data; persaepe etiam conciones habet, ita ut circiter semel quavis hebdomada praedicet vel sermonem faciat.

Quotannis initio Quadragesimae litteris pastoralibus clerum et populum instruit et decursu anni saepius, si de rebus gravioris momenti agitur, brevibus epistolis fideles evocat. Leges ecclesiasticae principiales quotannis initio Quadragesimae fidelibus praeleguntur, ad portas ecclesiarum affiguntur necnon in foliis periodicis dioecesanis et religiosis publicantur. Decanis demandatum est, etiam de observantia erga has leges Ordinario referre.

28. Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et quomodo provideat, si ipse per se omnium necessitatibus consulere nequeat. Serventur in huius sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis.

Quovis anno in archidioecesi circa 35.000 et quidem 15-20.000 a me ipso, ceteri a Reverendissimis Dominis Vicario Generali, Excellentissimo Nuntio Apostolico et Abbate Generali Mechitaristarum, Archiepiscopo Nisibensi, confirmantur. In huius sacramenti collatione omnes regulae observantur; fidelibus regulae maioris momenti antea notificantur.

29. Quot in quinquennio sive per se sive per alium ad sacros ordines promoverit. Et an servaverit leges de non promovendis:

a) qui necessarii non sint vel utiles iuxta can. 969;

¹¹ Im Original fälschlich *alias*.

¹² Im Original *cathedra*.

b) qui saltem integrum theologiae curriculum in seminario non peregerint. Can. 972 § 1. An numerus ordinatorum par fuerit necessitati dioecesis. An aliquem incardinaverit, qua de causa, et num iuxta legem can. 111 seqq.

Ultimo quinquennio per me et Vicarium Generalem 169 clerici saeculares et regulares ad sacros ordines servatis de iure servandis promoti sunt. Numerus ordinatorum belli causa ultimis annis valde erat diminutus et nunc quidem auctus, nequaquam sufficit. Penuria sacerdotum est maxima, qua ex causa etiam sacerdotes aliarum dioecesium vel saecularisatos incardinavi servatis legibus. Ut pueris pauperibus ad sacerdotium vocatos auxilium praestare eoque numerum sacerdotum augere possimus, opus sic dictum „Canisianum” sub meo praesidio conditum est, quod nunc iam 380 seminaristas in tota Austria sustinet.

30. An servatae sint regulae can. 877 seqq. in concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi; et can. 893 seqq. circa casus reservatos.

In concedenda facultate vel licentia s. confessiones audiendi regula can. 877 sequ. accurate servantur. Casus nobis sine censura reservata est copula incestuosa cum consanguinibus vel affinibus I. Gradus.

31. Circa sacram praedicationem, an consuluerit ut iuxta Const. S. P. Benedicti XV et normas a S. C. Consistoriali datas die 28 Iunii 1917 omnia rite procederent; ac maxime ut servarentur praescripta can. 1340 seqq. circa licentiam concedendam et can. 1347 circa modum et argumentum concionandi. An curaverit ut votum a can. 1345 expressum de brevi aliqua homilia in omnibus missis festivis habenda sensim ad effectum ducatur.

Circa praedicationes canones citati servantur. Licentia generatim sacerdotibus viciniorum dioecesium tunc datur, si eadem gaudeant in propria dioecesi.

Anno 1918 brevem homiliam in 2 vel 3 missis praeter praedicationem habendam praescripsi et decani Ordinariatui referre debent de huius praecepti observatione.

32. An et quo fructu avertere pro viribus studuerit fideles a nuptiis cum acatholicis, infidelibus, aut impiis iuxta cann. 1060, 1064, 1065, 1071.

Nuptiae cum acatholicis raro eveniunt, magis vero nuptiae coniugum a mensa et thoro separatorum coram ministro acatholico ob nimiam instigationem praesertim socialistarum pro matrimonio civili. Verbis et litteris pastoralibus necnon foliis periodicis iterata vice fideles avertere conati sumus.

33. An in quinquennio totam dioecesim ipse per se, aut per alium visitaverit iuxta cann. 343-346. An praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitaverit, eos singillatim audiendo, ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae confessionis frequentia etc. An inspexerit quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manualium satisfactionem ac stipem, et an constiterit omnia ad legis normam procedere iuxta cann. 824-844. Et si abusus aliquos hac in re detexit, referat.

Quovis anno circiter 50 parochias visitavi exceptis annis 1915 – 1917 propter impedimenta e bello exorta. Infra decem annos totam Archidioecesim visitare possibile erit, sed valde difficile infra quinque annos. Decani quotannis omnes parochias, archidecani omnes decanos visitant. Visitationem ad normam canonum C. J. C. feci; personas quoque clericorum visitavi; abusus quoque ad satisfactionem missarum non inveni.

34. *Utrum et quomodo dioecesanam synodum celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit. Cann. 356-362.*

Synodus prima provincialis habita fuit anno 1858, synodus dioecesana non celebrata est nec ab antecessoribus meis. Me ipsum bellum et sequentes anni turbulenti, quibus summopere occupatus esse debebam, ut fideles meas egentes adiuvarem, a synodo dioecesana praeparanda impediabant. Conferentiae praeparatoriae vero habitae sunt ultimis annis tum cum omnibus decanis, tum cum parochis et catechetis Viennensibus.

35. *Si sit metropolitanus aut conferentiarum episcopaliū praeses: an et quando concilium et quando conferentias convocaverit; quinam interfuerint; et quo fructu res cesserit. Cann. 283-292. Ceteri Episcopi: an concilio provinciali, et conferentiis ipsi per se, aut saltem per procuratorem, interfuerint. Can. 287.*

Suffraganeos ceterosque Austriae Antistites mense Novembri cuiusvis anni convocavi, ut de causis omnibus dioecesibus communibus, praesertim de modo tractandi cum gubernio civili quoad scholas, matrimonium, bona ecclesiastica consilia faceremus. Litterae pastorales communes ex ultimis hisce conferentiis editae sunt.

36. *Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam, servilitate erga humanas potestates vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati ecclesiae, aut dedecus statui ecclesiastico obveniret.*

Cum civili auctoritate reipublicae optime me habebam; factio Christiano-socialis ducente Praelato Dr. Seipel iura ecclesiae omni modo tueri intendit ac mecum in omnibus hisce causis consilia fecit. Etiam officiales reipublicae cultum administrantes mecum sentiunt. Difficilior est relatio ad auctoritates socialisticas Communitatis Viennensis. Quidam deputatorum socialistarum religioni nostrae sunt infensissimi ac continuo moliuntur ad doctrinam christianam e scholis excludendam, matrimonium civile introducendum ac rem publicam ab ecclesia separandam¹³. Bona ecclesiastica hucusque ab auctoritate civili nullum detrimentum cepta sunt¹⁴. Ante duos annos 2 castella mensae episcopalis propria contra annexionem ex parte reipublicae attentatam defendere debui.

CAPUT V.

De Curia dioecesana

37. *Utrum Curia dioecesana aedes proprias, sufficientes et convenientes habeat; et si non, an et quomodo huic defectui consuli queat. Exhibeatur prospectus officialium Curiae episcopalis, adiectis iudicibus synodalibus, examinadoribus, parochis consultoribus, censoribus librorum aliisque peculiaribus administris. Can. 363 seqq.*

38. *De qualitatibus et opere Vicarii generalis et aliorum praecipuorum ministrorum adumbratio aliqua fiat.*

Curia dioecesana sufficienter et convenienter in palatio archiepiscopali locata est. Officiales sunt: Vicarius generalis: Dr. Joseph Pfluger, Episcopus Arpasensis et Auxiliaris, qui ex multis annis diversis curiae officiis functus peritissimus est in omnibus negotiis dioecesanis ac in iure canonico; officio Vicarii generalis fungitur ex anno 1911.

¹³ Im Original *separandum*.

¹⁴ Statt *ceperunt*.

Director Cancellariae: Dr. Franciscus Kamprath, Protonotarius Apostolicus et Scholasticus Capituli Metropolitanus Viennensis, qui summa industria ac peritia ex anno 1910 officio suo fungitur.

Officialis tribunalis ecclesiastici: Dr. Joseph Seywald, Protonotarius Apostolicus et decani vices gerens in Capitulo Metropolitanus; adsunt 11 iudices prosynodales, 3 notarii tribunalis, 9 examinatores prosynodales. 7 parochi consultores, 4 deputati pro seminariis, 10 sacerdotes constituunt consilium vigilantiae, 21 commissarii et examinatores pro tentaminibus theologicis, 8 inspectores generales pro scholis, 86 inspectores scholarum; consistorium archiepiscopale, i. e. coetus consiliariorum iuratorum pro Ordinario consistit ex 19 dignioribus sacerdotibus; consilium dioecesanum pro scholis ex 24 sacerdotibus consistit. Consilium dioecesanum pro conservatione ecclesiarum ex 7 sacerdotibus et laicis. Inspector pro musica sacra est unus sacerdos. Denique in Cancellaria occupati sunt ut secretarii 12 sacerdotes et 4 laici in aliis officiis.

39. *Quinam sint Curiae proventus sive ex taxis, sive ex multis pecuniariis, sive ex aliis titulis: et quomodo erogentur.*

Curiae proventus comparantur partim ex mensa archiepiscopali, partim ex taxis pro revisione annuariorum¹⁵ rationum, dispensationibus bannorum etc. solutis.

CAPUT VI. *De Seminario.*

40. *Si dioecesis seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus dioecesi necessariis. An studium sit seligendi bonae spei iuvenes, e dioecesi oriundos, ad clerum indigenam creandum; quo fructu et ubinam educentur. Can. 1353.*

41. *Si seminarium adsit, referatur enucleate:*

a) *de numero et statu eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent, qui discunt;*

b) *de statu aedium et rusticationis domus;*

c) *de redditibus et oneribus, hoc est de statu activo et passivo pii instituti;*

d) *de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarii statum.*

42. *Distinctumne sit seminarium in maius et minus iuxta can. 1354 § 2.*

Et si prudentia suaserit, aut dioecesis conditio exegerit, ut dumtaxat seminarium minus seu schola apostolica, uti vocant, constitueretur, dicatur ubinam maiores alumni educantur: num in seminario proprio provinciali, seu regionali, seu interdioecesano apostolica auctoritate constituto iuxta can. 1354 § 3. Et de eius statu adumbratio aliqua fiat.

40-42) Archidioecesi Viennensi proprium est Seminarium maius, Viennae, et minus in Oberhollabrunn. Utrumque Seminarium regunt sacerdotes saeculares archidioeceseos. Seminario maiori praesunt: Rector (Dr. Gustav Müller, Protonotarius Apostolicus et Custos Ecclesiae Metropolitanae), Spiritualis, Oeconomus, Subrector, praefectus studiorum; confessarii sunt 2 sacerdotes e Societate Jesu. Alumnos, quorum numerus 104, docent 15 professores facultatis theologiae Universitatis Viennensis.

Seminario minori praesunt Rector (Dr. Franciscus Berger, Cubicularius S.S., et Canonicus honorarius Ecclesiae Metropolitanae.), Spiritualis, Oeconomus et 4 studiorum praefecti; confessarii sunt 2 sacerdotes saeculares et 1 regularis. Alumnos, quorum numerus 240, docent gymnasii publici professores, quorum 5 sunt sacerdotes.

¹⁵ Im Original *annuariorum*.

b) Utriusque Seminarii fabrica disciplinae et valetudinis tuendae legibus respondet, et hortis ac atriis ad spatiandum instructa est.

Rusticationis domus Seminario maiori deest nec est spes eiusdem infra proximum tempus acquirendae. Seminarium minus ruri est ideoque non indiget rusticationis domo.

c) Seminarium maius et minus ante bellum e redditibus propriis et oblationibus fidelium sustineri potuerunt¹⁶. Nunc vero propter immensam annonae caritatem praeter duas collectiones in omnibus ecclesiis factis cibaria a ruricolis expetebamus magno cum successu. Porro S. Sedes benigne indulgit, ut parochi in festis abrogatis et suppressis stipendium excipere possint pro Seminario maiori; etiam sacerdotes Seminarium minus dirigentes ac docentes in eiusdem favorem celebrant, ita ut adhibitis stipendiis magni valoris externis seminaria usque nunc existere possint. Sine hisce stipendiis externis aliisque subsidiis a Sanctissimo Patre benignissime elargitis impossibile fuisset, seminaria sustentare.

d) Propter deplorabilem penuriam sacerdotum novum seminarium minus in quodam castello mensae episcopalis in urbe Viennensi sito cooperante opere „Canisiano” 1922 erigere intendo.

43. An servatae sint regulae: can. 1356 circa tributum seminaristicum; can. 1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas; cann. 1358, 1360, 1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem; can. 1359 circa deputatos; can. 1363 circa alumnos admittendos et excludendos; can. 1371 circa dimittendos aut expellendos; cann. 1364-1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae; can. 1367 circa pietatis exercitia; can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas.

Tributum seminaristicum iuxta c.1356 in archidioecesi non existit: ast fideles magna cum liberalitate pro seminario offerunt dona, sicuti etiam clerici, qui saepe in testamentis seminarium ut heredem nominant.

Quotannis utrumque seminarium visitans confirmare possum eius bonam directionem. Rector Seminarii maioris iam aetate proventus (73) mox ab officio discedet.

Deputatorum officio funguntur pro disciplina Canonici Ecclesiae Metropolitanae Dr. Kamprath et Dr. Hlawati, pro administratione temporalium Praelatus Julius Kundi et Prof. Universitatis Dr. Theodor. Innitzer. Canones 1363 et 1371 accurate observantur.

Quivis alumnus seminarii minoris 8 annos gymnasii publici cum examine maturitatis absolvere debet. Profectus alumnorum generatim est laudandus. Deinde alumni in seminario maiore degentes praelectiones philosophiae ac theologiae in Universitate Viennensi infra 4 annos audire et quovis anno examina facere debent.

Pietatis exercitia in utroque Seminario precibus quotidianis, Exercitiis annuariis et ante ordinum susceptionem, meditatione quotidiana in Seminario maiori, dominicali in Seminario minori omni modo adhibentur; fere omnes alumni quotidie S. Communionem suscipiunt et uniti sunt in Congregatione Mariana; praeterea Ss. Cor Jesu, Sancti studiosorum Patroni in Seminario minori, Sancti sacerdotes in maiori seminario peculiari devotione coluntur. Sacerdotes regentes Seminarium maius et minus omni studio spiritum ecclesiasticum in alumnis fovere ipsisque, praesertim minoribus, leges urbanitatis tradere conantur.

44. An Ordinarius curaverit ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiariter Urbis collegia, vel universitates sive facultates a S. Sede in Urbe vel alibi probatas adiret, ut ibidem in studiis perficeretur iuxta can. 1380.

¹⁶ Handschriftlich korrigiert aus *potuit*.

Decursu annorum vel alumnus in Germanico vel sacerdos in Instituto Teutonico S. Mariae de Anima studere debet, in quantum hoc fundatio vel copiae propriae possibile reddunt. Praeterea et subrektor et studiorum praefectus semper lauream S. Theologiae sibi acquirere debent. Plures etiam sacerdotes quamvis cura animarum occupati lauream in Theologia adepti sunt.

CAPUT VII.

De clero generatim.

45. An clerus generatim habeat quo honeste vivere possit. An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint quibus adiuvari possint.

Clerus ante bellum generatim habebat, quo honeste vivere posset; hodierno tempore vero plurimi sacerdotes tantummodo stipendiis externis adhibitis se sustentare possunt, sicuti initio retuli. Associatio sacerdotum sub directione Ordinariatus curat, ut senes vel leviter aegroti in domo Viennensi communiter vivere possint. Infirmi persaepe in nosocomio fratrum misericordiae hospitaliter curantur.

46. An habeatur domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis; an etiam quo poenitentes recipiantur.

Exercitia tempore vacationum in seminario maiore, et in plurium regularium domibus habentur; regulares etiam liberaliter excipiunt poenitentes.

47. Quo fructu Ordinarius curaverit ut clerici omnes ea adimpleant quae recensent: can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia; can. 126 circa periodicum recessum ad spiritualia exercitia; can. 130 circa examina annualia novorum sacerdotum; cann. 131 et 448 circa conferentias cleri; can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus; can. 134 circa communem clericorum vitam, praesertim vicariorum cooperatorum cum suo parochio, can. 476 § 5; can. 135 circa recitationem officii divini; can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem; can. 811 circa vestis talaris delationem in missae celebratione; can. 137 circa fideiussiones cavendas; cann. 138-140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.

Maxima pars sacerdotum statum clericalem tenet; saltem tertio quoque anno ad spiritualia exercitia recedere debent; quodsi neglexerint, ab Ordinariatu strenue admonentur. Quovis anno novi sacerdotes sic dicta examina triennialia facere debent. Quotannis etiam Decanus omnes districtus sui presbyteros ad conferentias pastorales convocare debet, ubi sacerdotes iuniores (usque ad 5. annum sacerdotii) themata ab Ordinariatu demandata et ab ipsis scripto exarata proferre debent. Protocollum conferentiae cum omnibus elaboratis ad Ordinariatum transmittendum est, qui in folio dioecetano votum suum publicat. Porro etiam sacerdotes libere se congregant cum permissu Ordinariatus et themata pastoralia pertractant. Generatim clerus officio suo plene satisfacit respectu habito ad gravem laborem in cura animarum urbis magnae; sacerdotes se uniunt in congregationibus marianis; vestes clericales – paucis exceptis – deferunt. Maxime dolendum est, quod Viennae fere omnes cooperatores saeculares cum parochis suis non convivant; qui abusus ansam praebens multis periculis sacerdotibus iunioribus Viennae quasi inveteratus est et iam antecessores mei frustra ipsum tollere conati sunt. Angustiae temporum ultimis annis mensam communem revera difficilem reddebant. Ut autem vita communis a novis parochis inciperetur, demandavi ante duos annos omnibus parochis occasione installationis, ut

infra duos annos vitam communem inciperent; quod nunc implere debent; etiam ceteros parochos omni cum severitate adhortatus sum ad vitam communem statim inchoandam. Praescripta canonum sub hoc numero sequentium generatim observantur.

48. An et quot clericis licentiam concesserit, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis seu mensis nummulariis parsimonialibus, cooperativis, ruralibus, aut similibus: an ratione communis boni, deficientibus laicis, et ob utilitatem religionis id concesserit; et num adhuc hae concessionis causae perseverent; an mensae nummulariae, in quibus clerici opus aliquod agunt, honestate personarum et principiorum tales sint, ut non dedeceat sacerdotem in iis partem habere; an in iisdem administratio ita recte geratur, ut omne absit decoctionis periculum, in quo sacerdotes convoluti maneant; et quomodo caverit de securitate huius notitiae; an denique qui hisce arcis applicati sunt a religiosa sacerdotalis vitae praxi deflexerint, et molestiam aliquam attulerint; et si ita sit, Ordinarius casus proponat et remedia suggerat. Omnes clerici cooperantes permultis associationibus caritativis et socialibus Ordinarii consensum ad gestiones bonorum ineundas expetere non videntur. De inordinata quadam administratione ultimis annis nihil mihi notum est.

49. An clerus praestet eam quam can. 127 praescribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem; et si sint qui graviter deficiunt, eos Ordinarius denunciaret. Si adsit in dioecesi clerus diversi ritus et linguae, quaenam sit inter clericos caritas et quaenam Ordinario cura fuerit pro utrisque.

Obedientiam et reverentiam erga Apostolicam Sedem et Ordinarium clerus praestat. Etiam folium periodicum cleri „Korrespondenzblatt für den katholischen Klerus“, ex anno 1885 in Archidioecesi editum, quod interdum contra Ordinariatus scripsit, nunc moderatum scribendi modum ostendit.

In archidioecesi solummodo diversum ritum habent Armeni (Mechitaristae) et Rutheni (graeo-catholici, subditi Ordinario Leopoliensi Ruthenorum, 2 sacerdotes), de quibus nihil est conquerendum. Bohemici sacerdotes, si schismatici e vicina republica irruerent, damno esse possent nostris sacerdotibus et curae animarum Bohemorum Viennensium. Quapropter nova congregatio religiosa, a Bohemo sacerdote Viennae 1922 condita, i. e. Congregatio Consolatorum de Gethsemani, fructus bonos afferet.

50. An generatim clerus officia obsequenter suscipiat, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit; an habeantur, qui quamvis viribus polleant, otiosi tamen vivere malunt; si habeantur qui Universitates laicas frequentent, an hi servaverint ac servant leges a S. C. Consistoriali ad rem statutas; et si huiusmodi adsint, eos Ordinarius indicet.

Clerici officium suum exceptis paucis obsequenter susceperunt. Nonnulli catechetarum Viennenses curam animarum negligunt, solummodo stricto suo magisterio fungentes.

Nonnulli sacerdotes permissu Ordinarii facultatem iuridicam et philosophicam Universitatis Viennensis frequentant. Duo sacerdotes, studiis iuridicis finitis, statum clericalem inobedienter dereliquerunt.

51. An adsint sacerdotes qui in diariis et libellis periodicis scribant vel ea moderentur; et qua facultate et utilitate id peragant. Can. 1386 § 1.

Sacerdotes, qui permissu Ordinarii ephemerides redigunt, nullam ansam ad querelam usque nunc praebebant.

52. *An adsint de clero qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedecent; qui factionibus municipalibus vel politicis indebite se immisceant; qui ad statum saecularem redacti sint, aut per nefas ad illum sponte sua sint regressi. Cann. 211-214; et quid fiat ad horum malorum remedium.*

Clericos, qui inconvenientia diaria vel tales libros cum scandalo legant, non animadverti. Generatim clerus etiam quoad factiones politicas decentiam sacerdotalem servat. Sed iuniores sacerdotes interdum res politicas imprudenter in concionibus disceptabant.

Sicuti iam deposui, 15 sacerdotes archidioecesis Viennensis usque nunc ex anno revolutionis 1919 sua sponte statum clericalem dereliquerunt, quorum plures vel matrimonium civile inierunt vel in concubinato vivunt. Plures tam infelices facti sunt propter pericula, quam praebet vita non communis cum parochis. Conatus mei, hos sacerdotes ad vitam sacerdotalem reducere, erant frustra, plerumque ob eorum concubinam.

53. *An et quo fructu aliquas ex poenis recensitis in can. 2298 Ordinarius irrogaverit, et casus graviores referat.*

Praeter modo memorata suspensiones vel aliae poenae ecclesiasticae non erant ferendae. Notanda esset tantummodo suspensio catechetae Viennensis Kurane, exclaustrati Piaristae, qui ob concubinam suspensus, tamen incitatus a socialistis Viennensibus in schola adhuc doctrinam christianam docet. Spero, appellationem meam ad supremam auctoritatem civilem fore efficacem.

CAPUT VIII.

De Capitulis

54. *Si desit Capitulum cathedrale, dicatur quot consultores dioecesani habeantur, et serventurne circa ipsos quae cann. 424-428 statuunt.*

55. *Si adsit cathedrale Capitulum, dicatur quot dignitatibus et canonicis constet; adsintne officia canonici theologi et poenitentarii et serventurne ab ipsis quae cann. 398-401 iubent; habeanturne alii beneficiati minores, et quot.*

Capitulum Metropolitanum constat ex 18 Canonicorum foundationibus, quarum 14 ab Archiduce Rudolpho IV. anno 1358 et 4 a Maria Theresia Ducissa Sabaudiae, nata Principissa a Liechtenstein, anno 1772 institutae sunt. Ex istis 14 foundationibus duae suppressae sunt, quarum redditus in utilitatem sic dicti „fundi religionis” cedunt; insuper una ex enuntiatas 14 coniuncta est cum Praepositura ecclesiae votivae Viennensis in perpetuum; ex 4 foundationibus Liechtensteinensibus 2 sunt cum permissu Apostolicae Sedis et patroni unitae cum duobus aliis. Ex enumeratis foundationibus sunt 5 dignitates, Praepositus (nunc Vicarius generalis), Decanus, Custos, Cantor, et Scholasticus (simul iuxta statuta capituli Theologus). Omnes Dignitarii capituli usu pontificalium gaudent. Alii beneficiati minores non existunt.

56. *Exponatur quae sit dotatio Capituli seu beneficiatorum. In distributionum seu punctaturarum disciplina vigeantne et serventur regulae can. 395.*

57. *Si adsint canonicatus aut beneficia patronata, curaveritne Ordinarius, et quo fructu, ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus, aut saltem loco iuris praesentandi, acceptarent, iuxta can. 1451.*

58. *Adsintne statuta iuxta cann. 410 et 416.*

Dotatio Capituli provenit ex redditibus foundationum, domorum, silvae, necnon e portione congrua a gubernio civili praestita. Regulae C. J. C. et statuta Capituli ex anno 1844 accurate observantur quoad distributionem et punctaturam.

Canonicos foundationis Rudolphinae nunc omnes, exceptis dignitatibus, quae nominantur a Sanctissimo Patre, nominat Ordinarius, ante nominationem vero gubernium civile interrogatur, an quidquam habeat ex parte ministerii cultus contra candidatum. Canonicos Liechtensteinenses praesentat hodiernus regnans Princeps de Liechtenstein Ordinario.

59. Quot adsint canonici ad honorem; et serventur de ipsis regulae can. 406.

Adsunt 12 Canonici honorarii, quorum electio ad Ordinarium pertinet; sunt viri optimi meriti in cura animarum.

60. Sede episcopali vacante, quaenam vigeat ratio providendi dioecesis regimini; servatane fuit, ultima vacationis vice, disciplina quam cann. 429-443 praescribunt.

Ultima vacationis vice anno 1913 servata est forma a Jure Canonico praescripta.

61. Dicatur aliquid de modo quo Capitulum sacras functiones peragit, quo se gerit erga suum Ordinarium, et de aliis quae ad eius bonum nomen pertinent.

Omnes Canonici, in quantum non sunt infirmi, diligentissime adjuvant Ordinarium in variis officiis curialibus Capitulo V. adnotatis. Quapropter officium divinum totum recitare non possunt et a S. Sede obtinuerunt facultatem, Vesperas diei post missam conventualem horis antemeridianis in choro persolvendi exceptis diebus Dominicis et festivis necnon solemnitatibus festa maiora praecedentibus, in quibus Canonici ritu solemniter funguntur. Modus, quo canonici erga Ordinarum se gerunt, omnino est conveniens.

62. Si adsint in dioecesi Capitula, praesertim insignia, vel Communiae cleri ad modum Capitulorum, Ordinarius de iis referat analoge ad ea quae pro cathedrali Capitulo sunt requisita.

Capitula alia vel Communiae in archidioecesi non existunt.

CAPUT IX.

De Vicariis foraneis et parochis

63. Referatur an Vicarii foranei adimpleant diligenter ea omnia quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus seu districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, de aliisque; an paroecias juxta normas ab Ordinario datas visitent; et an quotannis rationem reddant Ordinario de statu sui vicariatus iuxta can. 449.

Vicarii foranei (decani) generatim officio suo perbene funguntur, quotannis paroecias visitant ac de harum statu Ordinario referent. Ultimis 2 annis etiam decanos ad conferentias convocavi et anno 1920 ipsis „Instructionem” typis impressam tradidi, quae omnia maioris momenti in se continet.

64. An paroeciae omnes de suo proprio pastore sint provisae; et serventur lex a can. 460 lata de uno dumtaxat pastore in unaquaque paroecia habendo, reprobata qualibet consuetudine et revocato quolibet privilegio.

Ultimis annis ob penuriam sacerdotum interdum 10-20 paroeciae de suo proprio pastore non erant provisae. Can. 460 praescriptum observatur.

65. An adsint paroeciae amovibiles, quot, et qua de causa. An et quot unitae Capitulis sive cathedrali, sive collegiatis, domui religiosae, aut alii morali personae: et in hoc casu utrum

serventur leges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae iuxta statuta in cann. 415, 471 et 609 § 1. Et si religiosus sit parochus, an sarta tectaue sint quae Cann. 630, 631 hac de re praescribunt.

Parochiae amovibiles non existunt.

Domibus religiosis unitae sunt 121 parochiae; canones citati observantur.

66. An et quot adsint patronatui obnoxiae; an et quo fructu cura fuerit Ordinario ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent iuxta can. 1451; sin minus, an in praesentatione servatae sint leges a cann. 1457 seqq. latae, ac maxime a can. 1452 in casu electionis seu praesentationis popularis.

Patronatui iuris publici sunt obnoxiae 179 Parochiae, 12 Beneficia, 5 ecclesiae; iuris privati 225 parochiae, 26 Beneficia, 8 ecclesiae.

Quod praesentationem attinet, patronus iuris publici in Archidioecesi, i.e. revera gubernium provinciale, semper illum praesentat, quem Ordinarius primo loco gubernio notificat; semper tres candidati notificantur.

67. An provisio paroeciarum quae sunt liberae collationis fiat per concursum, et qua ratione concursus celebretur. Can. 455 seqq.

Omnium paroeciarum provisio in archidioecesi iuxta leges civiles per concursum fit, qui annuntiatur in folio dioecetano. Examina pro candidatis fiunt bis in anno ex theologia pastorali, explicatione homiletica, in arte catechetica, ex theologia dogmatica et morali necnon ex iure canonico et fiunt ore et scriptis. Post 6 annos candidatus prima vice quoad scientiam approbatus dispensatur a repetitione examinum audito voto Examinatorum.

68. Quibus redditibus parochi vivant, an ex immobilibus, ex publico foenore vel aerario, an ex incertis stolae, et fidelium vel dioecesis contributione. An commode generatim vivant, et an adsint qui egestate laborant. An domo propria paroeciali, saltem conducta eaque sufficienti, generatim instructi sint; et si non, an studium sit et probabilitas ut ea instrui valeant.

Parochi vivunt partim ex immobilium redditu, partim ex publico foenore et incertis stolae¹⁷. Ultimis annis generatim inopes erant. Omnes parochiae domum propriam habent exceptis 3 parochiis Viennensibus, de quarum aedificatione disceptationes cum gubernio adhuc fiunt.

69. An parochi generatim satisfaciant iis quae praescribunt: can. 463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis qui solvendo pares non sunt; can. 465 circa residentiam; can. 466 circa applicationem missae pro populo; can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum; can. 468 circa infirmorum curam; can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepant et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et fovenda; can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos; circa exemplaria tradenda quotannis Curiae episcopali; can. 785 circa sacra olea a parochis loco decenti ac tuto custodienda.

Parochi praescriptis in his canonibus contentis generatim obsecundant; respectu habito ad paupertatem populi saepe gratuitum ministerium praestare debent; residentiam tenent; multi desiderant diminutionem obligationis applicandi pro populo; dolendum est, quod parochi Viennenses per scribendas relationes officiis publicis exhibendas, et alia negotia in cancellaria parochiali diem fere integrum occupantur, – ubi quidem occasio data est, munus pastorale

¹⁷ Hier ist ein Wort wie *proventibus* ausgefallen.

exercendi in loquendo cum parochianis, in exhortando eos, in exhibendo caritatem personis, – sed minus curae infirmorum incumbere possunt. In omni fere parochia Viennensi et rurali nonnullae sunt opera caritatis vel pietatis a parochis introducta. Libri paroeciales accuratissime ab Ordinariatu examinantur.

70. Circa baptismum: an quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte sit instructa iuxta can. 774, et quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo ad paroecialem transferri nequeant, an parochus ad proximorem ecclesiam vel publicum oratorium pro sacramento ministrando ultro libenterque accedat iuxta can. 775.

Quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte est instructus¹⁸. Viennae nonnumquam ex multorum annorum abusu a divitibus parentibus baptismus in domo desideratur, qui abusus difficillime tolli potest.

71. Circa SSmam Eucharistiam: an parochis cura sit studiumque indefessum ut, iuxta can. 863, fideles saepius et etiam quotidie pane Eucharistico reficiantur; ut iuxta can. 865 infirmi, dum plene sunt sui compotes, S. Viaticum suscipiant; ut iuxta cann. 1273, 1274 et 1275 cultus SSmi Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam missae adsistentiam, ad visitationem serotinam peragendam, exponendo statis temporibus SSmam Eucharistiam, aliaque utilia peragendo; ut iuxta can. 854, servata quidem parentibus et confessariis debita libertate ad iudicandum de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem, iidem parentes ne negligant officium suum, et alii abusus ne subrepant.

Iterata refectio cum SS. Sacramento fere ubique in archidioecesi in usum venit. S. Viaticum ruri generatim opportuno tempore fideles suscipiunt. Viennae persaepe fideles aegroti in nosocomio extrema sacramenta suscipiunt, sed haud raro etiam negligunt, si eos indifferentes sorores laicales curant.

Ex Eucharistico Congressu Viennensi cultus eucharisticus summopere in archidioecesi est auctus; ruri perpetua adoratio, Viennae oratio 40 horarum introducta est, variae associationes catholicae hunc cultum promovent. Parentes generatim pueros a sanctorum sacramentorum susceptione non detinent.

72. Circa extremam unctionem: an parochis cura sit, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.

Conferatur sub Nr. 69 deposita, quoad officium parochorum.

73. Circa matrimonii celebrationem: an parochis omnibus cura sit diligens observandi quae praescripta sunt in Codice lib. III, tit. VII, circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus, et adnotationem matrimonii.

De matrimonii celebratione parochi praecepta iterata vice ab Ordinariatu oretenus et scripto data observant.

74. Circa catechesim: an ab omnibus parochis diligenter serventur quae praescribit can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et communionem et pro confirmatione puerorum; et cann. 1331-1336 de catechismo diebus festis impartiendo tum pueris tum adultis. Plerumque in urbibus magnis cooperatores pueros ad primam confessionem et communionem praeparant; ipsi necnon catechetarum plurimi, qui sunt sacerdotes sine officio cooperatores,

¹⁸ Statt *instructa*.

diligentissime instruunt discipulos; quivis in una hebdomada per 24 horas. Ad excolendam scientiam paedagogicam et catechetica ultimis annis „consiliarium dioecesanum pro scholis” et „museum cateheticum” institutum est; catechetae ipsi in eundem finem associationem catechetarum et professores religionis in gymnasiis ceterisque scholis mediis similem associationem colunt.

Diebus Dominicis et festivis horis postmeridianis ante vel post Benedictionem cum SS. Sacramento doctrina christiana i.e. expositio catechismi dioecesani a parochis vel a cooperatoribus edocetur.

Adnotare etiam velim, supradictas associationes una cum Episcopis Austriae novam editionem Catechismi praeparare.

75. Circa evangelii explanationem: an ab omnibus lex servetur can. 1344; circa sacras conciones: an statis quibusdam temporibus sacrae conciones frequentius habeantur ad normam can. 1346, et sacrae missiones locum habeant iuxta can. 1349.

Verbum divinum diebus dominicis et festivis in exhortationibus matutinis et in praedicationibus missarum sollemniis adjunctis pronuntiatur. Hoc anno omnibus ecclesiis praescriptus est sic dictus „liber praedicationum” in quem omnis concionis thema inscribi debet.

In plurimis ecclesiis tempore quadragesimali, mense Maii et Junii peculiare conciones habentur.

76. An vicarii cooperatores alique animarum curatores suis officiis laudabiliter fungantur iuxta can. 473 seqq.

Respectu habito ad nimium numerum animarum in parochiis Viennensibus, ad distantias magnas in multis parochiis ruralibus, ad inopiam communem in Austria existentem, ad offensiones et impedimenta a socialistis magistris persaepe exhibita, confiteri possum, cooperatores archidioecesis Viennensis officio suo plerumque assidue fungi ac omni laude esse dignos.

CAPUT X. *De Religiosis.*

77. An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513: et quae notabilia adnotanda habeat.

Domi religiosae sororum vel per Ordinarium vel ipsius Commissarium visitantur. Infra quinquennium vero nonnullae adhuc non sunt visitatae. Fere omnes spiritu ecclesiastico bono sunt imbutae; nonnullae superiorissae nimia annorum serie officio suo funguntur. Vita communis observatur.

Etiam viri religiosi laudandi sunt, exceptis Barnabitis, Minoritis, Servis B. M. V., qui a Sede Apostolica visitati sunt. (De religiosis extra claustra confer Nr. 82.)

Servi B. M. V. nunc iam sunt reformati. Paucis exceptis religiosi et religiosae bona fama in dioecesi gaudent. Clerum saecularem magnopere adiuvant in confessionali, in concionibus, in moderatione congregationum marianarum aliarumque societatum catholicarum, in missionibus pro populo, in cura infirmorum (Ordo S. Camilli), in educatione puerorum et iuvenum, in scholis catholicis aliisque modis. Omnes regulares catechismum tradunt excepta Societate Jesu, cuius sacerdotes vero summopere cooperant missionibus pro populo, redactione foliorum religiosorum, praedicationibus etc.

Moniales ac sorores aestimatissimae sunt a laicis immo infidelibus, praesertim in nosocomiis, ita ut ab omnibus directoribus nosocomiorum, orphanotrophiorum ceterorumque operum piorum desiderentur. Opera nostra caritativa ultimis annis iam essent diruta, si sorores heroica cum

patientia eadem non servavissent. Sorores sacerdotes etiam adjuvant in cura animarum, praesertim apostatarum.

79. *Si quaestuantur adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicae praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint: an aliquod inconueniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum.* Inconuenientia maioris momenti mihi non nota sunt. Quod quaestuantur attinet, canonicae praescriptiones generatim observantur.

80. *Si congregatio aliqua dioecesani iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.*

Dioecesani iuris sunt ex religiosis viris:

Congregatio Piorum operariorum sub praesidio S. Calasantii (Calasantini), cum 4 domibus, 11 sacerdotibus, 30 fratribus professis, 2 scholasticis, 6 Novitiis, 3 Candidatis, qui optime meriti sunt de educatione puerorum, iuuenum ac operariorum.

Congregatio Consolatorum de Gethsemani, 1922 fundata, cum 1 domo, 2 sacerdotibus, 1 clerico, 6 Novitiis, qui dediti sunt curae animarum Bohemicorum.

Ex religiosis feminis:

Elisabethinae, cum 1 domo, 43 sororibus, 3 Novitiis, Candidatis 3, quae in nosocomio proprio aegrotos curant.

Filiae Divini Salvatoris, cum 36 domibus, sororibus 756, Novitiis 81, Postulantibus 23, Candidatis 30, quae curae infirmorum, educationi puellarum in scholis elementaribus et mediis, orphanotrophiis ceterisque operibus piis pro infantibus diligentissime operam dant.

Sorores scholasticae III. Ord. S. Francisci, cum 21 domibus, 180 sororibus, 22 Novitiis, 14 Candidatis, quae adlaborant curae et educationi infantum et puerorum in scholis elementaribus.

81. *Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.*

Offendiculum aliquod in iurisdictionis exercitio Ordinario non accidit.

82. *Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui exclaustri, saecularizati aut dimissi a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.*

Viennae sunt multi regulares ex diversis Ordinibus vel exclaustri, saecularisati, vel immo nonnulli dimissi. Occasione reformationis proprii ordinis vel aliis ex causis saepe regulares incardinationem expetebant. Interdum singulis concessa est incardinatio, plerumque vero malo cum eventu pro archidioecesi. Plures statum laicalem iterum elegerunt. Patet, horum vivendi rationem magnum scandalum esse populo fideli. Saepius ex aliis dioecesibus Viennam veniunt sacerdotes maculati, qui vitam suam inhonestam Viennae ducere volunt. Ordinarius contra hos clericos plerumque tantummodo censuris procedere potest.

83. *De religiosis mulieribus in specie Ordinarius referat:*

a) *an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann. 512, 513, 520-527, 533-535, 547, 549, 550, 552, 600-605;*

b) *si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;*

c) *quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;*

d) si sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis obversantur, et an aliquid habeatur deplorandum.

Canonicae leges circa admissionem ad novitium, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem observantur.

b) Monialium monasteria superioribus regularibus in archidioecesi subiecta non sunt.

c) cfr. Nr. 82.

d) quaedam congregationes etiam infirmis in privatis domibus assistunt, aut rem domesticam in aliis causis administrant. De inobservantia regularium nihil audivi deplorandum.

CAPUT XI.

De populo fideli.

84. Dicatur quinam sint generatim populi mores: quatenus vita christiana privata in familiis: quatenus publica in oppidis et civitatibus: an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu. Et si sint differentiae notabiles unius loci ab alio, indicentur. Quid fiat ut christianae vitae professio, si paululum defecit aut a recta via declinavit, sensim reducatur.

Mores populi in archidioecesi Viennensi haud meliores facti sunt; milites bello corrupti immoralitatem etiam ruri ostendebant; multae feminae, quae in fabricis militaribus laboraverant, corruptae redierant. Ruricoli iuniores haud difficili modo pecuniam acquirentes eo magis libidini, potui ac ludo sunt dediti.

In urbe magna infelix eventus belli fovebat socialismum, qui auctoritatem civilem sibi arripiebat, terrore permultos ad factionem suam coegit infensissimeque fidem nostram persequitur.

Vindobona ultimis annis erat centrum omnium mercatorum undequaque confluentium, quibus conditio moralis urbis iterum deterior facta est.

Ad conservandos ergo catholicorum mores missiones pro populo multae anno 1920 sunt institutae magno cum populi succursu et laudabili frequentia sacramentorum. Litteris pastoralibus, libellis, foliis periodicis religiosis necnon assidua unione catholicorum in nostras associationes christianos iterum resuscitare conati sumus.

85. Qua reverentia clericos, et maxime Episcopum et S. Pontificem, populus prosequatur. Can. 119.

Irreverentiae personales praeter continuam sugillationem in foliis periodicis contra Episcopum et sacerdotes non eveniebant. Catholicorum amor erga S. Pontificem, Episcopum et sacerdotes eo maior factus est.

86. Quae sit observantia: can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis; cann. 1252, 1254 circa abstinentiam et ieiunium; can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus; can. 859 circa communionem paschalem: quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligunt, facta proportione pro singulis centenis fidelium; can. 863 circa frequentem communionem; cann. 865 et 944 circa extrema sacramenta: an sint inter eos qui catholici censentur, qui haec sacramenta differunt, negligunt aut etiam recusant: et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenis; cann. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera: dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici dicuntur funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur: an id contingat ex nimietate taxarum stolae, an ex alia causa.

In multis fabricis industrialibus tantum dies festivi Nativitatis et Paschatis liberae sunt ab operibus servilibus; multi etiam diebus Dominicis excursions faciant. Sed etiamsi hae circumstantiae considerantur, tamen confitendum est, observatio praecepti dominicalis melior esse posset. Abstinertiae et ieiunii praeceptum a multis quidem adhuc servatur; angustiae temporum et inopia cibariorum vero consuluit confessariis maximam lenitatem.

Infantes, in quantum mihi notum est, celeriter baptizantur.

Valde difficile est, accuratum numerum communicantium referre, cum Status animarum adhuc desit et multi huic praeceptui obtemperare solent in locis peregrinationum. Videtur tamen, ultimis annis frequentiam Sacramentorum auctam esse.

Rari sunt casus, in quibus catholici directe susceptionem extremorum sacramentorum denegent, praesertim cum Patres Ordinis S. Camilli diligenter laborent in cura infirmorum.

Rarissimi etiam eveniunt, qui corpus suum cremationi dant, quamvis societas „Flamma” ideas suas magno cum apparatu apud nos divulgare intendit. Communitas socialistica Viennensis I. Crematorium in Austria Viennae mox aedificabit. Leges ecclesiasticae quoad denegationem sepulturam christianam iis, qui corpus suum cremandum esse iubent, accurate a sacerdotibus observantur. Catholicorum funera mere civilia non fiunt; Taxae stolae non sunt nimis altae.

87. Circa matrimonium: an matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia habeantur, et qua proportione; an vitia contra sanctitatem matrimonii irrepererint; quid fiat ut haec mala removeantur.

Matrimonia civilia vel acatholica ultimis annis ob dispensationem a vinculo ligaminis ex parte socialisticae Communitatis multa erant. Socialistae autumant, in Austria usque nunc 20.-25.000 talia matrimonia esse contracta.

Concubinatus Viennae multae existunt quod etiam fovetur a penuria habitationum nunc quoque existente in urbibus maioribus. Etiam media anticonceptiva valde adhibentur, cum tempore belli auctoritates militares milites de horum usu instruxissent. Iterata vice ultimis annis litteris et allocutionibus hunc detestabilem statum oppugnabam.

88. Ubi catholici cum acatholicis mixti sunt, et mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta: quoniam exinde detrimenta religioni proveniant: an serventur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.

Matrimonia mixta rara sunt; plerumque contrahentes servant clausulas praescriptas.

89. De christiana educatione prolis: quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gravissimae huic obligationi, de qua cann. 1113 et 1372: et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.

Generatim catholici satisfaciunt christinae educationi prolis puerisque exercitium religionis non denegant. Magnum periculum in archidioecesi est societas sic dicta „amici puerorum” (Kinderfreunde) socialistica, quae circiter 40.000 pueros et puellas congregat et in sensu radicalis socialismi educat.

90. De scholis: an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum. Et si non, qualibet de causa; an cura sit fidelibus et clero instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta can. 1374.

In scholis elementaribus ac mediis discipuli in religione instituuntur, et quidem in quavis classe duabus horis infra hebdomadam (excepta 1. classe cum 1 hora). Omni studio propagamus

institutionem scholarum confessionalium. Diversae associationes in hunc finem cooperantur [Katholischer Lehrerbund (unio catholicorum magistrorum) cum 3900 membris anno 1920, associatio pro scholis catholicis cum 50.000 adscriptis anno 1920] necnon plures congregationes religiosas. Nunc ergo in archidioecesi existunt sequentes scholae confessionales: 3 gymnasia, 4 scholae pro magisterii candidatis, 18 scholae elementares, 14 scholae maiores pro puellis.

91. De conditione et statu scholarum confessionalium, praesertim elementarium, enucleate referatur: quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa: et dicatur, an per varia opera- post-scholaria, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisve modis, cautum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.

Quae scholae aestimatissimae sunt a catholicis multosque discipulos habent. Nunc Episcopatus intendit, ut res publica lege civili scholas confessionales instituat.

Religiosi ac Religiosae studiosissime, sicuti iam deposui, praeservationi puerorum ac puellarum oratoriis, congregationibus, aliisque modis operam dant.

92. De religiosis et piis laicorum associationibus; an adsint in dioecesi tertii Ordines saeculares, et confraternitates, illae praesertim Ssmi Sacramenti et Christianae doctrinae, aliaeque piaes uniones potissimum pro iuvenibus: quo numero et quo religionis profectu.

E longa associationum catholicarum serie, quae maioris sunt momenti, tantum affere liceat: religiosae (numerus indicat membra secundum statisticam anno 1920):

Confraternitas Ss. Cordis Jesu	30.000
Tertius Ordo S. Francisci	6.500
50 Uniones pro aedificatione et renovatione ecclesiarum	
30 Uniones pro peregrinationibus	
multae uniones pro musica sacra	
confraternitates Rosarii ac S. Familiae cum multis millibus membris	
Sodalitates (congregationes) Marianae virorum	47
iuvenum	20
studiosorum	35
feminarum	40
puellarum	130
discipulorum	50
Associatio virorum custodum Ss. Sacramenti	(2000 adscripti)
Associatio S. Francisci Xaverii (opus de Propaganda Fide)	20.000

Numeri hodie summpere sunt aucti.

93. An hae associationes servant omnes praescripta: can. 690 de subiunctione erga Ordinarium; can. 691 de administrationis modo.

Hae associationes praescripta canonum servant.

94. An adsint inter catholicos associationes illae, quae sociales vocantur, agriculturalum, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuuum subsidium; an asyla pro

infantibus, patronatus pro iuvenibus, pro emigrantibus etc., circuli pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc.: quo spiritu agantur: an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsint: quaenam beneficia sive moralia sive temporalia praestent.

E ceteris societatibus catholicis afferre liceat:

quasdam pro infantibus:

Christliche Erziehungsgemeinschaft Frohe Kindheit cum 40 sectionibus

Kinderschutzstationen 20 sectionibus

Iuvenibus: Reichsbund der katholischen deutschen Jugend

Studiosis: Christlich deutscher Studentenbund, Katholische Studentenverbindungen,
Neuland, Logos

Puellis: Verband katholischer Mädchenvereine 198 sectiones; Caritas socialis pro lapsis

Feminis: Zentralorganisation der katholischen Frauen 70.000; christliche Müttervereine

Viris: Katholischer Volksbund 50.526 (1921 182.000)

operibus caritatis: Caritasverband der Erzdiözese Wien cum sectione in quavis parochia
Viennensi et 20 sectionibus ruralibus.

opificibus: Katholischer Gesellenverein

Operariis: christliche Gewerkschaften (1921 Viennae 38.000)

Agricolis: Niederösterreichischer Bauernbund

ad instruendum populum in variis scientiis: Katholische Volkshochschule Reunion und
Volkslesehalle

Omnes dictae societates nunc optime reguntur et directioni ac moderationi Ordinarii dociliter subsunt.

95. An cura sit ut qui hisce associationibus sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.

Sacerdotes moderatores dictarum societatum operam navant, ut sermonibus, exercitiis, communionibus generalibus aliisque modis adscriptos in fidei doctrina instituant et ad christianam vitam adducant.

96. An et qua diffusione ephemerides vel diaria obscoena, irreligiosa, modernistica vel liberalia dioecesim pervadant: an libri quoque huius generis diffusi sint; quid fiat ad tantum malum coercendum et quo fructu.

Ephemerides catholicae quotidianae sunt Viennae 5, non catholicae 19; folia periodica mensilia catholica 25.

Contra bibliothecas non catholicas praestant associationes catholicae pro bibliotheca cum circiter 200 bibliothecis.

97. An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae in dioecesi habeantur: quanta et quali activitate operam adversus religionem moliantur; quid fiat ad occurrendum huic malo.

Tabernae Massonum Viennae 15-20 existunt, quae operibus caritativis, unionibus ad eruditionem et oblectationem, seminario pro novis Massonibus aliisque modis agitant. Ipsis praesertim nostrae societates antisemiticae oppugnant.

98. An socialismi societates habeantur: quot numero, quanti momenti et quali religionis noxa: et quid fiat ad hanc avertendam.

99. Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et ecclesiae libertati pro viribus consulant.

Socialistarum organisatio optima est et melioratio relationis votorum infra breve tempus mea opinione non erit exspectandum, quod demonstrant numeri unionum operariorum (Gewerkschaften). In electionibus anni 1921 pro coetu operariorum (Arbeiterkammer) 90 % elegerunt socialistas, in electionibus pro coetu officialium (Angestelltenkammer) 75 % elegerunt socialistas.

Relatio votorum in electionibus pro Communitate Viennensi anni 1919 erat:

Socialistae	368.228 vota
Christiano-sociales	183.937 vota

in electionibus deputatorum rei publicae (Nationalrat) anni 1920

	Socialistae	Christiano-Sociales
Viennae	435.042	278. 816
extra Viennam	153.135	181. 800

in electionibus pro curia provinciali Austriae inferioris anni 1921 (Landtag)

166.586 Socialistae 172.671 Christiano-sociales,

CAPUT XII.

Judicium syntheticum Ordinarii circa dioecesis statum.

100. Denique Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim in prima sua relatione, quid actu sentiat de materiali et morali conditione dioecesis, quae spes melioris status affulgeat, quatenus maiora discrimina immineant.

In sequentibus vero relationibus addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit: et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi: et quatenus de eo censeantur causae.

Comprehendens breviter statum materiale ac morale archidioecesis mihi concreditaepetere velim, quod gravissimi mihi videtur esse momenti.

Constat Sanctae Romanae Ecclesiae adversarii diversi generis etiam gregem meam irruisse ipsique intulisse gravissima vulnera. Solatium mihi praebent fideles, qui tandem – sicuti ex ultimis conventibus cognoscere potui – se erigere et omnibus viribus sacrosancta iura in scholam et matrimonium defendere volunt.

Ut autem populum nostrum in hoc certamine ducere possimus, ante omnia oves nostras melius cognoscere debemus. Quapropter prima mea cura erit, ut clerus meliori modo parochianis vivat, ut parochus cum cooperantibus suis fraternam habeat communitatem vitae, cum iisdem communicans omnes suas curas pastorales. Deinde amplificationi seminarii adniti intendo, ut numerus sacerdotum et exinde parochiarum et ecclesiarum augeatur.

Populus archidioecesis Viennensis certo a falsis prophetis cavebit Ecclesiaeque adhaerebit, si clerus sublimi vocationi suae conformiter vivit.

Deus det nobis suam gratiam!

Viennae 20. Maii 1922

+ Fr. G. Piffl
Archiepiscopus Viennensis